culpas intulerit: una cum eo residentes subtili cuncta investigatione perquirite. et ita vos in ea quae deum offendunt et ad iracundiam provocant districtos ac sollicitos exhibete. ut ad aliorum emendationem et vindicta culpabilem feriat. et innocentem falsa opinio non affligat. Deus te incolumem custodiat reverentissime frater. Data die decimo kalendarum iuliarum. imperante domino nostro mauricio tyberio piissimo augusto. anno nonodecimo post consulatum eiusdem domini. anno octavo decimo. indictione quarta. xxix.

Praeterea idem papa gregorius augustino episcopo quia suggesserat ei multam quidem sibi esse messem sed operarios paucos: misit cum praefatis legatariis suis plures cooperatores. ac verbi ministros. In quibus primi et praecipui erant. mellitus. iustus. paulinus. rufinianus. et per eos generaliter universa quae ad cultum erant ac ministerium ecclesiae necessaria. vasa videlicet sacra. et vestimenta altarium. ornamenta quoque ecclesiarum. et sacerdotalia vel clericalia indumenta. sanctorum etiam apostolorum ac martirum reliquias. nec non et codices plurimos. Misit etiam litteras in quibus significat se ei pallium direxisse. simul et insinuat qualiter episcopos in britannia constituere debuisset. Quarum litterarum iste est textus.

epla

Reverentissimo et sanctissimo fratri augustino coepiscopo. gregorius servus servorum dei. Cum certum sit pro omnipotente deo laborantibus ineffabilia aeterni regni praemia reservari: nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tribuere. ut in spiritalis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia nova anglorum ecclesia ad omnipotentis dei gratiam eodem domino largiente et te